

## STATUTUM XV.

**De Seniore ad Contubernium Jurisperitorum vocando.**

Quandoquidem privilegio Reverendissimi olim Joannis Konarski, Episcopi Cracoviensis, Die prima mensis Junij 1519. in Statuto Universitatis Rectoratu Magnifici olim Joannis de Pilea Die 24 Mensis Augusti 1491 formato praescriptum sit, ut Senior Bursae Juristarum inter alios, cum locus vacat in Collegio prior advocandum debeat esse; ideo statuimus et Perillustrem ex Collegio Nostro Juridico Ecclesiae Cathedralis Crac. Canonicam, uti et tanquam dietae Bursae provisorem natum, hoc Statuto obligatum haberi conamur, quemadmodum obligamus, quatenus vacante senioratus praefatae Bursae Professione, virum talem per Universitatem eligendum proponat, qui in Utroque Jure per exauditas Lectiones exercitatus fuerit et examen post vocationem sui ad Bursam seu Contubernium, coram CC. Doctoribus Juridicum Collegium inhabitantibus ante Principiaturam more Collegarum vocatorum (ut supra praemissum est) sub nullitate suae ad Contubernium vocationis subire sit adstrictus. Quae enim ad perpetuam utilitatem instituta sunt nulla debent immutatione variari. (can. Quae ad perpetuam. 25. 9. 1.)

STATUTUM XVI. *vide XIX (pag. LVII)***De Tempore lecturae D. Senioris Bursae Jurisperitorum et non usurpatione eorum, quae spectant ad formales Collegas Juridicos.**

Quamquam Senior Contubernii Jurisperitorum gratia praelegendae Lectionis Regularum Juris diebus Sabbativis, Pervigiliorum ac silentij tempore ad Cathedram CC. Professorum Juris secundum antiquam praxim et consuetudinem admittatur et a professione, ad quam vocatus est, Professor utriusque Juris intituletur, tamen ad Actus Collegas Actuales Juridicos concernentes, utpote praesentationes Doctorandorum, Convocationes Domus et his similia formalibus Collegis praedictum quodcumque et quomocumque inferentia (nisi id de consensu omnium fiat) se